

tali funere decedens atque succedens iterum Phœnix seipsum funerando renouat. Semper AUGUSTVS, Verendus, Amatus, excrescere videt quinque frutices Regiâ consitos manu, rorariâ germinantes aspergine diuinâ, Galliæ bono.

Multiplex regis virtus.

Quocunque se vertit, elucet Pietas, Magnificentia structoria, Providentia æraria, Liberalitas donatiua, Iudicium in delectu, Promittitudo in responsis, Magnanimitas in fortuitorum euentu, Fides in fœdere, Moderatio nullo non tempore, in agendo Prudentia, Iustitia in omnes. Tam infractus doloribus, quâ inimicus est otio. Et quo alio incanuit Regius vertex si non vigili curâ? Jam lauri, tempora inorantes, quid nisi Victoriæ manu è tribus iustissimis proelijs, è quinque & triginta armatis congressionibus, è quadraginta supra centum proelijs regiâ pugnatis manu, è trecentis locorum oppugnationibus, decerpta? His creuit ingès decus, quo singulari Dei munere, Propugnatores agnoscimus tranquillitatis publicæ, publicique Status redhibitores, Ecclesiæ ornamentum, Christianorum Arbitrum, Orbis Delicias. Sed heu quam crudeli manu nobis ereptas!

CASPARIS DORNAVI,
ILLUSTR. BETHANEI
RECTORIS,

ALLOQVIUM,

QUO,

CL. VIRO,

DN. BALTHASARE EXNERO

DE HIRSCHBERGA,
PIIS MANIBUS.

SERENISS. ARCHIDUCIS,
MAXIMILIANI τὸ μακαριῶς,
PARENTATURO,

STUDIOSAM JUVENTUT.
AD PANEGYRIC. ORATION.
INVITAT, EXHORTATUR.

BETHANIÆ,
TYPIS JOHANNIS DORFFERI.

ANNO MDCXIX.



CASPAR DORNAVIUS
 JUVENTUTI STUDIOSE
 S. P. D.

Suspenderat dudū Prepotens juxtā & Vin-
 dex Deus, super verticem nostrum, superiore mun-
 do, stellam crinitam, insolenti hac tempestate fla-
 grantem; quæ in morem primi mobilis, ab ortu in
 occasum profecta, ad Booten propius se conferens, cau-
 dam ultra plaustrum Ursæ majoris, si quid *Φανωρδρος* ju-
 dicare potest visus, exporrigebat. Eam dum usurpatis &
 corporum, & mentium oculis; dubii, an trepidi; quid
 sibi vellent hæc ignita jaecula,

crinesq; timendi

Sideris:

venit mihi in mentem anni, post Christum natum, septi-
 mi & nonagesimi, ultra quingentesimum: quo, diro ad-
 spectu, Cometes Christiano Orbi imminebat. Quæ
 tum facies seculi extiterit, quid consecutum, queritis?
 Jam primū exsiccato aëre, absumtis vaporibus prius,
 quàm in nubes coire possent, exaruit terra; cujus squa-
 lorem comitata sterilitas est; sterilitatem annonæ cari-
 tas; hanc fames: advolante præsertim ingenti locustarum
 agmine, quæ spem reliquam agrorum præmordebant.
 Quo postea

*elusi deplorant arva coloni,
 Et steriles sulcos inter defessus arator*

A 2

Ad

537309

2.

Adjuga moerentes cozit frustrata juuencos.
Quid de cætero factum?

————— *lens à corpora tabe*
Corripit exustis letbalis flamma medullis:
Labentesq; rapit populos, totasq; per urbes
Publica succensis peraguntur fata sepulchris.

Atqui si verum est; rationem boni quandoque obtinere, quod minus est malum; hæc calamitas tolerabilis videbatur pte illa, quæ (ut est malum mali ferax) paulò post præstò erat. Nihil enim exitius supervenire Christi regi poterat: quàm infamis natalis portenti execrandi Mahometis, quem Arabiæ Mecca ignobilis edidisse, hoc anno fertur. Parùmne hoc est? subsequa fuit defectio nefaria & secta, hoc Auctore, impurissima. Quid Romani Imperii dignitas? Obteri tum cœpit multimodis; cum bella hinc inde orientur,

————— *subitiq; tumultus*
Et clandestinis surgentia fraudibus arma.
Robur Germaniæ, Francorum & Saxonum fortissimæ gentes, quæ recto, quæ obliquo Marte congressæ, in mutua viscera grassatæ, mutuis vulneribus sese confecerunt. Ecclesiæ haud mitior fuit conditio: in qua Præsulum avaritiâ, ambitione, negligentia, crudelitate eò degeneravit disciplina; ut vestigia raris præsanctimoniam apparerent: administratio autem religiosi operis, quæ paternum erat, in dominatum postea impotentem traducta fuerit. Quod si nunc quisquam sollicitus anquirat de isto ipso, qui, ante oculos nostros,

————— *mediâ quoq; nocte Cometa*
sanguineus lugubre rubet;
qui ————— *levo contristat lumine cælum:*

isâ

isâ me responsum habeat, quod Sybilla olim oraculo multis retrò seculis reddidit: videre nos

————— *ἀσέγγ, πῆμα πόνοιο*
πολλῶ, ἐρχομένης πολέμου, καὶ θνησιότητος.
————— *Stellam, luctuosum signum laboris*
Multi, multiq; belli, & vastationis.

Et si enim augur esse importunus atque feralis nolim; qui ariolari nunquam didici: verè tamen usu longissimi ævi compertum est, & clade nostrâ:

————— *nunquam spectatum impune Cometam:*
nec nominari potest, aut replicari ex annalibus tempus ullum; quin

————— *comis lethale minetur*
Bella, famem, pestem, trifidi tria fulminis arma;
Quis, postquam in meritos superi Patris ira furores
Exarsit, cæcus hominum jaculatur & urbes.

Laude ergo meritoque vehendus Carolus Magnus; qui, conspectâ tali face, prælagiens sibi, quod verè accidit, extremum vitæ terminum; quid portenderet, percontabatur. Referebat Eghinardus Jeremiæ scitum; ut subtristem Domini animum recrearet: *A signis cæli minime metuumdum; qua propbane gentes exborrere soleant.* Uritur vicissim piâ retorsione cordatissimus Cæsar: Nihil, inquit, formido cælorum signa; sed signorum opificem; quem scio hos iræ suæ præmittere anteambulones: quam vel hoc nomine venerandus potiùs Deus: quod Reges, Principes, Populos, antequàm infligat plagam, iuditiis factis præmonet; poenitentiam locum facit. Vox sanè egregia, verè regia! quæ eò usque auribus nostris insonet; ut statuamus: tum magis metuumdum esse,

————— *mutantem regna, Cometen;*

A 3

cum

cum Magnates, quos ipse Jehova Deorum titulo dignatur, è vivis abeunt. Hi fulera sunt, hi columnæ Rerum-publicarum: ut his nutantibus, nutet; labentibus, totum corpus ruinam trahere videatur. Ipsi quidem ἐν ἐπιφύσεια decedentes, infausti nihil sentiunt: potius bonorum omnium attingunt apices; prærepti ante calamitatis adventum: non secus atque matercula in tempesto cælo, sobolem suam subducit, componitque cubiculo. Ad nos, ad superstites prorepat, an prorumpit, inter hos mundi decumanos fluctus vis mali: qui perinde cadimus miscelli, morte sublatis Magnatibus; atque virgulta tenera: quorum ingentem numerum ruinâ opprimit procera arbor, radicibus suis convulsa atque dejecta. Obversatur oculis nostris Principale funus SERENISSIMI ARCHIDUCIS, τὸ μακροῦς MAXIMILIANI; cujus sapientiæ, fortitudini, pacis bellique; tempore, justitiæ, continentiam, moderationi, clementiam, quantum debeat Romanum Imperium, ejusque regna socia & vicina, dici à me satis nequit. Conscendet autem cathedram, cras horâ VIII. matutinâ in auditorio majori, Clarissimus charissimusque Collega noster Dn. BALTHASAR EXNERUS DE HIRSCHBERGA, Historiarum Professor; & oratione exequiali, pro doctrinæ suæ celebritate & facundia, parentabit optimo Principi; ea commemoraturus, quæ Ipse tum in aula ejus, tum aliorum Archiducum & Germaniæ Principum viderit, audiverit, compererit. Ad eum audiendum, quod ultrò facere Ipsi debetis, hortor Vos, qui legibus nostris & jurisdictioni paretis; ut frequentes conveniatis: de virtutibus & dignitatibus Principum judicare, advescatis reverenter: mortes eorum ominosâ esse statuatis: tristia præfagia, & ex obitu Principis hujus & flam-

mis

mis comati sideris, deprecatione vestrà apud Deum, aver-tatis: mihi quoque, si mereor, ad diuturni languoris mei mitigationem, gratiam ejusdem parariis precibus colligatis. Danda omnino omnibus opera, quacunque statione collocatis; ut ne novis Comeris, novam materiam adferamus; Præclaris Viris moriendi necessitatem.

Nam quid imaginibus deservit inermibus at her;

Si neque, vulnificis inscripti dorso flagellis,

Vel tenuem gemitum, fibris evellimus imis?

Quousque tandem, dum mitissimus Deus, stringens in nos, imò jam infligens ultricia sua arma,

————— *verbera dorso*

Densus ingeminat, praefracti stamus aselli?

Neque enim ex impurâ tantum terræ fuligine tetra, densa, tenaci, viscida conglomeratur tanta *μυτιώπης* moles; quæ sæpe amplissimorum montium instar, sub Luna, flammam concipit: sed foetor quoque cadaverosus atque pestilens peccatorum nostrorum, dictu incredibile est, quàm sublime exhalet; quanta ejus sit vastitas; quæ portenta gignat; quàm sordeat DEO; vindicias ejus provocet! Quid porrò flagitia nostra? Sunt secures; quibus illustrium Hominum vitæ, quasi radices arborum succiduntur, evertuntur: nos verò & consilio, & majestate & virtute destituimur & patrocinio. Facile Thebas subigebat Alexander, Epaminondâ mortuo; Romam Galli, Censore sublato; Theodosio, Byzantium Gotti, Vandalis, Hunni; Josaphato, Arabes regnum Israël; Josiâ, populum item Judaicum Babylonii; Salomone, tribus Israël libido civiû dominandi cupidorum afflixit. Quæ omina ut vana apud nos fiant, aut saltem mitigentur, faxit

Inuma-

Immanuel noster, Potentissimus Domitor monstrorum
ac portentorum: qui in ipso quasi crepusculo anni bene
omnia faciat; custodiat introitum & exitum
nostrum, ex hoc, nunc, & usq; in seculum.
P. P. Beth. Januarii an. ultimi seculi 15. 15 CXIX.



ORATIO PANEGYRICA,
DE
VITA ET
MORTE,
Serenissimi, Laudatissimi que Principis,
MAXIMILIANI III.
MAXIMILIANI II.
IMP. FILII:
Divorum Augustorum,
RUDOLPHI II. & MATHIÆ, IMPP.
FRATRIS.
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS
BURGUNDIÆ, COMITIS
TIROLIS &c.
ORDINIS TEUTONICI per Germani-
am & Italiam &c. Magistri supremi &c.
*In illustri ac frequenti Panegyre, Gymnasio
Schönachiani,
publicè habita
à*
BALTH. EXNERO de HIRSCHBERGA,
Poëtæ Cæsario, & Historiarum atque Antiquitatum
Professore Ordinario,

Ex Calcographéo
**JOAN. DÖRFERI, TYPOGRAPHI
SCHÖNAICHIANI.**